

CL. PTOLEMAEI


ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO, THEORI
cam Iouis & Saturni lucidè tractat, Planetarumq; omnium unà ue
ros elicere motus apertissimè patefacit, Liber XI.

*Ad Occasiones diuersi motus Iouis quibusdam praeambulis
peruenire. Propositio I.*



NON EST in Ioue & Marte quo ad huius rei inquisitionē aliqua uarietas, nisi quod extremitates noctis aliter incidunt, quod quidem huiusmodi scientiæ qualitatem non alterat. Tribus propositum nostrum absoluemus cōsiderationibus. Quarum una Ptolemæi fuit in anno 17. Adriani, die primo mensis Athica undecimi transacto, ante medietatem noctis una hora æquali. Et uidebatur Iupiter per instrumentum in 23. grad. & 11. minut. Scorpionis. ¶ Secunda fuit cōsideratio in anno 21. Adriani 13. die mensis Baba, secundi, scilicet, transacto, duabus horis æqualibus ante medium noctis. Et uidebat̃ stella Iouis in 7. grad. & 54. minut. Piscium. ¶ Tertia uerò fuit in anno primo Antonini 20. die mensis Athus tertij transacto, quinque horis æqualibus ante medium noctis. Et uidebatur stella in 14. grad. 24. minut. Arietis. Tempus autem quod à prima cōsideratione fluxit ad secundam, fuit tres anni Aegyptij, tres menses, 16. dies 23. horæ æquales. Quod uerò fuit inter secundam & tertiam, annus unus Aegyptius, unus mensis, septem dies, & septē horæ æquales. Motus uerus Iouis in primo interuallo tēporis fuit 104. partes, & 43. minut. Et motus medius lōgitudinis 99. partes,

& 55. minut. In secundo autem interuallo motus Iouis uerus 36. partes, & 30. minut. Medius uerò motus 33. partes, & 26. minut. ¶ His præmissis procedamus per omnia sicut in Marte, describendo circulum ecentricum, super cuius centro motus Iouis regularitatem habet, qui sit *ABG*, & punctus *A* primæ habitudinis, *B* secundæ, *G* uerò tertix. Intra hunc circulum sit centrum mundi, *D* punctus, ducaturq; linea *DG*, donec occurrat circumferentiæ in puncto *E*.



À punctis item *A* & *B*, duæ lineæ *AD* & *BD* protrahantur, & tres chordæ *AB*, *AE*, & *BE*, tres quoq; perpendicularares *AT*, *BH*, & *EF*. Quia autem angulus *B DG* ex cōsiderationibus notus est,